

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 10 iunii 1975.

DINUS CARD. STAFFA, Praefectus.

✱ AURELIUS SABATTANI, Secr.

ADNOTATIONES. - Forsan utile est quod iuris canonici periti cognoscant decretum supra relatum, ob nonnulla omnino peculiaria, quae in casu evenerunt.

1) *Non agitur de decreto reiectionis recursus*, de quo in art. 116 Normarum Specialium Supremi Tribunalis, quod supponit examen de fundamento eiusdem impugnationis in Congressu Signaturae Apostolicae.

2) *Agitur de actu adhuc praeliminari*, praescripto a can. 1609, par. 1, C.I.C., qui iubet: « Index, antequam... iudicaturus sedeat, videat utrum ipse sit competens, necne », et simul a can. 1611: « Index quovis in stadio causae se absolute incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur ».

3) Ideoque edicitur « recursum propositum *recipi non posse* ob incompetentiam absolutam Supremi Tribunalis ». Decisio huiusmodi non importat examen de merito impugnationis, sed tantummodo investigationem circa circumstantias externas actus potestatis administrativae ecclesiasticae, qui impugnatur, et imprimis de auctoritate quae eundem actum emisit vel adprobavit.

4) Ratio iuridica declaratae incompetentiae Supremi Tribunalis indicatur in can. 1556: « Prima Sedes a nemine iudicatur ». Quod vero agatur de incompetentia *absoluta*, apparet ex can. 1558: « In causis de quibus in can. 1556... aliorum iudicium incompetencia est absoluta ».

5) Ratio facti eiusdem incompetentiae enuntiatur in articulo secundo decreti Signaturae et consistit in adprobatione specifica, concessa a Summo Pontifice, decisionum latorum a Speciali Commissione trium Patrum Cardinalium. Haec adprobatio bis memoratur in litteris eorundem Cardinalium ad Exc.mum recurrentem, quibus decisiones latae eidem notificantur die 6 maii 1975:

a) « la Commission ne pouvait que remettre au Saint-Père ses conclusions absolument unanimes et le dossier complet de cette af-

faire pour qu'il puisse juger lui-même. C'est avec l'entière approbation de Sa Sainteté que nous vous faisons part des décisions suivantes »;

b) « C'est au nom de la Commission Cardinalice et par mandat exprès du Saint-Père que nous vous écrivons ».

Patribus Cardinalibus id affirmantibus et subscribentibus fides denegari nequit, eo quod, ex can. 239, par. 1, n. 17, ipsi pollent facultate « fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes ».

6) Signatura Apostolica, praeterquam a documento trium Patrum Cardinalium de quo supra (n. 5), die 2 iunii 1975 ab alio teste — qui ad normam eiusdem can. 239, par. 1, n. 17 pariter fidem facit de oraculo pontificio — certior iam facta erat decisionem praefatae Commissionis Cardinalium adprobatae esse a Summo Pontifice in forma specifica.

Diocesis Ultraiecten.

Nullitatis matrimonii
(29 novembris 1975)

In Nomine Domini. Amen.

Paulo PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno XIII, die 29 novembris 1975, Patres Cardinales Dinus Staffa, Praefectus et Ponens, Aegidius Vagnozzi, Franciscus Carpino, Jacobus Violardo, Petrus Palazzini, Membra Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, in sede eiusdem S. Tribunalis legitime coadunati, ad decidendam, in tertia instantia, causam nullitatis matrimonii, commissam a Summo Pontifice die 9 iulii 1973 « quinque Patribus Signaturae Apostolicae », inter Dinum S. M., representatum per patronum ex officio Adv. Carolum Tricetti, et Dnam R. T., conventam, interveniente in causa Revmo P. Villomo O'Connell, defensore vinculi, sequentem tulerunt definitivam sententiam.

SPECIES FACTI. - I. Dinus S.M., natus a. 1937 in urbe F. (Italia) matrimonium contraxit die 12 februarii 1968 in Arnhem (Neerlandia) cum